# DISSERTATIO
# INAUGURALIS
## DE
# SCROPHULOSI

QUAM

CONSENSU

**MAGNIFICI D.**

**PRAESIDIS** ET **DIRECTORIS**

SPECTABILIS

DOMINI DECANI

NEC NON

CLARISSIMORUM DOMINORUM

D. PROFESSORUM

INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE

IN REG. SCIENT. UNIVERS.

**HUNGARICA**

PRO

CONSEQUENDO MEDICINE DOCTORIS GRADU

SCRIPSIT

**FRANCISCUS SZINEK.**

Theses adnexae defendentur in palatio Universitatis **Maiori**
die Aprilis 1843.

---

**BUDAE,**
typis Joannis Gyurián et Martini Bagó.

# SCROPHULOSIS.

Scrophula (derivatur a gracco vocabulo σκρόφα, quod idem ac sus scropha designat) vel Scrophulosis, vel Struma Celsii, est morbus chronicus, ad cachexias spectans, aetatem inprimis teneram infestans, in quo ob statum abnormem organorum digestionis, chylificationis, assimilationis, et reproductionis, in gradu eminentiori adfectum est systema vasorum lymphaticorum, et ideo in hoc morbo evoluto, inter symptomata varia, statum abnormem organorum digestionis assimilationis, et reproductionis indicantia adsunt etiam tumores chronici glandularum lymphaticarum tam profunde, quam superficialiter sitarum, inprimis cervicalium, qui longo tempore indolentes, parumper tumentes cernuntur, donec accedentibus causis excitantibus, et irritamentis in chronicam inflammationem et foedam exulcerationem abeant.

Non omnis tumor glandularum praesubponit Scrophulosim nam etiam per alias causas potest oriri inflammatio et tumor glandularum, quae in exulcerationem foedam abire conantur, et nonnisi therapia rationali mature adhibita, et congrue, in resolutionem perduci possunt. Ita nascuotur inflammationes, et tumores glandularum per laesionem mechanicam v. g. per affrictionem glandularum lymphaticarum inguinalium, si variae res durae, ponderosaeque in saccis portentur. Ita nascuntur in collo per refrigerium repente in-

ductum. Pari ratione inducuntur inflamationes et tumores glandularum in variis locis corporis symptomatici, quales sunt: pestilentiales si per contagium pestilentiale inducti sunt, vel Syphilitici si per virus seu contagium syphiliticum inducuntur; sed hi tumores glandularum non vocantur Scrophulae sed bubones, qui sunt varii pro ratione causae excitantis, etquidem: Pestilentiales, syphilitici, insontes e. t. c. Distinguuntur igitur scrophulae a bubonibus, quod causa Scrophularum sit vitiata morbosaque adfectio organorum digestionis chylificetionis et reproductionís, proin et sanguificatio, imo tota mutritio organismi vitiata est, et morbose adfecta; causa vero bubonum est topica irritatio et inflammatio glandularum, sive per vim mechanicam, sive per virus syphiliticum, vel pestilentiale, sive per refrigerium inducta.

Morbus hic habet stadia suis propriis symptomatibus se manifestantia, et quidem.

1-mum Stadium est Dispositionis vel diathesis scrophulosae. Hoc stadium es non raro utcumque breve, duratque a nativitate, usque 10-um aetatis mensem, quo tempore morbus hic evolvitur, proinde in stadium secundum seu evolutionis abit. Alias hoc stadium diutius durat, usque septimum vel octavum aetatis annum, quo tempore se morbus antea latens aperte manifestat. Non unquam adhuc tardius in apertum prorumpit morbus hic, ut adhuc longius stadium hoc diatheseos latentis duret.

Habitus aegri hac diathesi laborantis est amoenus, fabrica corporis tenera, gracilis, cutis mollis, alba, caput a proportione majus, collum breve, crassum membra non raro sunt torrosa, caro tamen mollis, hac diathesi laborantes infantes, laborant dispepsia abdomen praeseferunt tumidum, in illis adest nausea, vomituritio, imo non raro vomitus quoque sequitur, quo evacuant saburram mucosam, vel cibos indigestos, et acidum spirantes; licet non desunt exempla infantum voracitate laborantium; in hac morbosa adfectione alvi evacuationes sunt inordinatae, imo et reliquae semet

excretiones sunt abnormes, nempe cutis est vel sicca vel sudor illius acidum spirút; urinae se cretio non raro est aucta, acris acidis abundans et salibus. Habitus aegri est duplex: Irritabilis, et torpidus, uterque propriis characteribus insignitur, thecapiamque diversam poscit.

2-um. Stadium est evolutionis, ubi accedentibus causis excitantibus oriuntur variarum partium inflammationes, utpote vel glandularum meibonici, palpebrarum, orisque et alibi, ita ut palpebrae; laenarium et labium superius tumida conspiciantur nam inflammatio harum glandularum chronicum deeursum amans in tumorem abit, et ideo partes dictae tumirdae conspiciantur. Ast inflammatio haec non solum in systemate glandulari, cellnloso, et cutaneo observatur, sed etiam in systemate osseo, et cartilagineo; nam in individuis hoc morbo laborantibus ossa ipsa inflammatione scrophulosae corripiuntur, quae inflammatio post longum suum decursum in supurationem cariemque ossium abit, ita videmus membrenam oculi corneam inflammatione corripi maculasque corneae vel phtisim Corneae post se relinqui. Praeterea Scrophulosis se manifestat quoque in systemate cutaneo, nempe in membranis mucosis sub forma blenorheae scrophulosae. Tandem inflammatio haec scrophulosa afficit quoque palmones cum reliquo apparatu respirationis, per quam tubercula oriuntur vel induratione, vel supuratione terminantia.

Hinc recentes scriptores Scrophulosim in quatuor species dispescunt, nempe: I. in Scrophulas lymphaticas, quae glandulas vasaque lymphatica corripiunt; hac sunt duplices nempe externae quae vasa glandulas que lymphaticas superficialiter sitas afficiunt, et internae, quae glandulas et vasa lymphatiea profundius tita afficiunt, proin sensibus nostris non patent, tales occurunt praecipue in cavo abdominis in glandulis mesaraicis,

II-do dividuntur scrophulae in Scrophulas blenochoicas, quae membranas mucosas afficiunt, occurit frequentissime

in membrana mucosa tubi intestinalis, organorum uropoëticorum conjunctivae bulbi.

III-io dividitur in osteomalatiam scrophulosam ab aliis scriptoribus uti (C. Schönlein) Rhachitis Scrophulosa appelatur, quae systema osseum et cartilaginosum afficit, ut ossa mollia friabilia evadant, vel carie consumuntur, praecipue occurit in articulationibus extremitatum tam superiorum quam inferiorum procul a corde sitarum. Ita corripit morbus hic Corneam oculi sub forma Keratitidis Scrophulosae.

IV-o dividitur in Tubereulosim Scrophulosam quee infestat inprimis pulmoncs, ut in his tubercula dura inveniantur, quae causis excitantibus in supurationem abire solent aegrumque phthisi tuberculosa enecant, haec tubucula non raro per plures annos inpune portantur, nihilque morbosi offerunt.

Hinc itaque videmus Scrophulosim esse morbum integrum organismum afficientem, nam afficit partes fluidas uti sunt chymus, chylus, Lympha, et Sanguis, quibus indolem acrem acidum spirantem impertitur. Afficit partes corporis solido molles nam affectae membranae fibrosae musculos involventes, et articulationes ossium, tumores albos causant, affectae membranae mucusae organismi blenorrhoeas causant scrophulosas; affectue vero glandulae lymphaticae, meibonici et aliae tam superficialiter quam profunde sitae Scrophulas proprie sic dictas, et tubercula scrophulosa efficiunt; affecta subsfantia cerebri cretinismum producit. Afficit tandem Scrophulosis etiam partes organismi solidas duras uti sunt cartilagines Cornea bulbi, ossa, cum periosteo, quae subsecuta supuratione cacie consumuntur. Antiqui Scriptores qui Scrophulas morbose affectas et tumentes glandulas lymphaticas et vasa lymphatica esse censebant, dividebant Scrophulas: in externas, quae locum superficialem ocupant, et ideo sensibuz externis percipi possunt, et in Scrophulas internas, quae profundius sitae sunt, uti: in cavo abdomi-

nis, pelveos, thoracis, idooque sensibus externis percipi non possunt.

## A e t h i o l o g i a.

Ad hunc morbum generandum requiritur dispositio, quae est frequentissime haereditaria, a generantibus ad soboles propagata. Huic favent variae cacheriae generantium uti sunt: Siphilis, Rhachitis, Arthritis, Phthises, animi pathemata, praecipue tristitia, moeror, ira, senectus paupe- ries, inmundities parentum. Non raro est haec dispositio acquisita, si infantes lacte materno destituti variis cibis duris indigestibilibus, corruptis vescantur, si versentur in aëre inpuro corrupto; hinc est, quod infantes, qui lacte materno vescuntur rarius scrophulis laborent, ac ii qui lacte nutricum fruuntur.

Causae excitantes sunt: I-mum alimenta et potulenta, quantitate et qualitate peccantia, si nempe infantes lacte materno destitulti, cibis crudis indigestibilibus nutriantur, vel si nutrix aliquo morbo discrasico laboret, uti est: Scrophulosis, Siphilis Blenorrhea; vel si nutrix animi pathomatibus praecipue deprimentibus, vexetur; vel si amplexum viri nimium postulet, si menstrua redeant. Adhuc magis favet scrophulosi, usus lactis vaccini vel alterius animalis domestici.

II-do Aër athmosphericus humidus et corruptus, quem continuo respiramus, et qui ad sanguificationem plurimum confert per suam oxidationem. Si itaque aër sit humidus parum oxigenii continens, impurus; Sanguificationem proin et nutritionem organismi impedit, hocque modo Scrophulosim provocat. Ideo frequentior est morbus tempore vernali, nam hic exhalationes moephiticae fiunt, huic morbo favent loca humida et paludosa.

III-io Defectus lucis, sine quo nulla vita in natura datur, vel adminus evolutio organismi impeditur. Id quotidiana experientia docemur nam plantae in cellariis locisque obscu-

ris crescentes, destituuntur colore amoeno, compages illarum est abnormis, et flores non proferunt. Ita etiam proles in tenebrosis locis degentes vigore animali destituuntur, sanguificatio et nutritio languet, scrophulosisque oritur.

IV-to Inmundities cutis et vestimentorum, per quam cutis respiratio impeditur et non raro ulcera quoque oriuntur.

V-to Motus corporis inpeditus, per quem digestio languet, se-et excretiones impediuntur, circulus Sanguinis, proin et nutritio impeditur.

VI-to Onania proh dolor frequenter Causa est Scrophulosis. Per hanc materia nutriens deperditur, partes genitales irritantur, debilitantur et illarum scopus acceleratur, reliquumque corpus praecipue Systema nervosum languet, sicque scrophulosis oritur.

VII-mo Morbi alii uti sunt syphilis Rhachitis, Febres, corpus debilitant et sic scrophulosi favent. Per has dictas Causas processus vitalis integer languet, digestio], Sanguificatio et integra nutritio impeditur, sicque Scrophulosis provocatur.

## Prognosis.

Quod prognosim attinet, morbus hic Therapiae pertinacissime resistit, praecipue si morbus sit inveteratus, atque individuum debile, per ipsam Scrophulosim, vel per alios morbos exhaustum, in hoc statu Prognosis utique non adeo fausta statui potest. Infaustior adhuc est prognosis, si scrophulosis sit cum alio morbo periculoso Conjuncta uti sunt: Febris Arthritis, Rhachitis, praecipue si cum Siphilide complicatus sit morbus, hic prognosis infausta statui debet. Caeterum si morbus sit recens, non adeo in magno gradu evolutus, si sit simplex, cum nullo alio morbo complicatus et si individuum sit robustum morbis non exhaustum Prognosis faustior declarari potest, praecipue si Therapia rationalis mature adhibetûr, aegerque potentiis nocentibus, scrophulosique faventibus surripiatur.

# Therapia.

Quod Therapiam attinet haec est duplex paliativa et radicalis. Cura plativa Scrophularum est certior quia ad praevertendum hunc morbum plura remedia possidemus, quam ad eradicandam Scrophulosim, quae ob suum chronicum decursum et ob suam pertinatiam therapiae valde resistit. Praecavetur vero morbus hic, si omnes causae huic morbo faventes removeantur; ideo hoc morbo laborantes vel alio morbo, siphilitico, vel hydrargirosi laborantes, vel debiles ad matrimonium non admittantur, vel adminus si hoc fieri non possit seligatur illi Consors ab hoc morbo immunis. *Congenita Scrophulosis* praecaveri potest si pro pauperibus fierent adficia ubi pari et educari possent proles, quae secus una cum matribus cum fame et miseriis coluctari debent.

Aquisita Scrophulosis optime praepediri potest, si respectum habeamus I. Alimentorum et potulentorum. Optimus cibus pro infante est lac maternum sanum. Ideo praestat ut mater suam prolem solalactet, ut suae, et prolis sanitati consulat. Si vero id praestare non possit mater, seligatur nutrix sana. Si infans jam cibos alios manducare possit, porigantur illi Cibi faciles digestui, uti est Decoctum glaudium quercus tostarum cum lacte jus carnium tenellarum, imo ipsas carnes tenellas manducare possunt, si jam sint infantes ultra sex meuses, dentibusque aliquot ornati. Ceterum nou ingerantur cibi copiosi, sed tamen sufficientes et boni, facilesque digestioni uti sunt fructus maturi cum carnibus tenellis; pro potu aqua pura. In debilitate tamen organorum digestionis prodest etiam cerevisia bona vel vinum aqua mixtum, praecipue vinum cum acidulis Fürediensibus, Rohitschiensibus, et similibus, quae etiam ope artis parari possunt.

II-do Causas Scrophulosi faventes remonere debemus. Hinc tales aegri versentnr in aere athmospherico puro, derelictis humidis habitaculis et aere moephitico repletis, pera-

gant motum corporis activum, vel si id praestari non possit instituantur frictiones Corporis moderatae. Huc conferunt: lotiones aqua initio tepida tardius ad frigidam gradatim descendendo, vel adhuc melius est si fieri potest concedatur adultioribus balneatio et natatio. Plurimum Confert bona educatio moralis et physica, cavendum ne concitentur infantes frequenter et sine Causa ad iram, ne terefiant, vel aliis affectibus deprimentibus afficiantur. Pro cura seligatur tempus oportunum, quale est vernum, nam hoc tempore integra natura in activitate Constituitur. Cum vero Scrophulosis saepissime sustentetur per saburram; igitur ante omnia primo saburrae evacuatio suscipiatur, et quidem via brevissima, ne per saburram integrum tubum Cibarium transeuntem, omnia organa digestioni inservientia offendantur. Proin si saburra in venticulo haereat, suis symptomatibus notis se manifestans; emeticum exhibeatur, raro solus tartarus emeticus, ne organa digestionis sua vi solvente debilitet, sed cum Ipecacuanha more solito et noto. Hic in casu duplicem effectum producit emeticum, quia saburram e ventriculo eliminat, et quod sua Concussione vasa resorbentia solicitat. Si vero signa saburrae in reliquo tractu intestimali haerentis adsint, purgantia exhibeutur. Abstinendum vero a salimis purgantibus, ne debilitas organorum digestionis augeatur; ideo potius porrigatur Rheum, Senna, Jalappa, Gratiola Extractum aloës aquosum sine vel cum Calomela, praecipue si Helminthiasis simul adsit. Ast si videamus evacuationibus multis subsecutis, signa saburrae Continuo adesse; hic attendendum ne continuentur purgantia, nam saepe signa saburrae sunt falacia, et loco saburrae adest potius hypersthenia proin phlogosis organorum digestionis saburram mentiens; ideoque in hoc statu potius methodus antiphlogistica indicta est. Si aciditas tubi cibarii adsit, alcalia utiliter adhibentur, quibus virtus antiscrophulosa tribuitur, qualia sunt: Lapides cancrorum, magnesia Carbonica bicarbonas sodae, carbonas lixivae, a grano uno usque quatuor et ultra exhibetur, pro dosi

ter quaterque per diem; adultis a granis sex usque scrupulum unum. Si inflamatio chronica adsit, hic praecipue arida mineralia, acidulae Bilinenses, Selteranae, Füredienses prossunt. Si vero debilitas organorum digestionis adsit; acidulae martiales, Zpadanae, Piromontanae, Bartfenses, Lublovienses earumque Thermae commendantur. His junguntur saepe bono cum successu amara roborantia, qualia sunt: Centaureum, Absiuthium, Mentha piperita Cinchina alumen ferrum. Horum virtus exaltatur, si his solventia sic dicta alterantia addautur, qualia sunt: Antimonium, ejusque praeparate uti sunt: Kermes minerale, Sulfur auratum antimonii, Tartarus emeticus, item hydrargirum, cum suis praeparatis. Praecipuam virtutem antiscrophulosam excerunt, si haec dicta remedia mixta adhibeantur uti est: Aethiops antimonialis et aethiops mineralis, qui in complicatione cum siphilide bono bono cum succegsu adhibetur. In inveterata Siphilidis complicatione ad Corosivum refugiendum est. Juxta recentiores optimo cum successu adhibetur in tali siphilitica complicatione Hydrargirum jodatum, a grano uno usque duo pro nichtemero, certe bono cum successu etiam in desperatis casibus ubi hydrargirum corosivum solum sine successu bono adhibitum est. Laudatur etiam ab aliquibns Solutio cupri amonicalis in acido muriatico, ita ut Drachma una solutionis aqua dilutae contineat granum unum cupri amoniacalis. Pariter comendantur alia qua autiscrophulosa, jam plus jam minus efficatiora uti sunt: Mur Baritae aqua solutus. Murias calicis in pulvere, cum pulvere baccarum lauri nobilis tostarum. Pariter bono cum successu exhibetur Guajacum et quidem Resina guajaci cum antimonialibus praeparatis juncta. Certum et infalibile remedium antiscorophologum tamen noa possidemus, licet praestantem vim antiscrophulosam exerant dicta praeparata, sequentia vero remedia principatum sibi vindicant iu curanda Scrophulosi simplici: Jodium et quidem melius est Kali hydrojodjicum, vel ejus Tinctura. Cuprum amoniacale. Antimonialia praeparata gi resina gua-

jaci, Bronium, Hydrargirum jodatum quae remedia ad sequentes Casus sequenti modo exhibentur:

Ia simplici et recenti Serophulosi adhibetur optimo cum successu, sequens:

In habitu torpido:

*Rp.* Aethiopis antimonialis.
Gi resi guajaci.
Pulv. rad. Rhei *aa. Drach unam.*
Sachari albi *Unc unam.*
M. D. S. Ter de die uno Cochleari Coffea coo exhibeatur. Vel

*Rp.* Aquae Cinamoni *Unc duas.*
Tincturae Jodii *scrupulos duos.*
Ds. Omni trihorio uno Cochleari Coffea in aqua summatur.

Si cum Siphilide Conjuncta sit Scrophulosis optime exhibetur Hydrargirum jodatum sequenti forma:

*Rp.* Hydrargiri jodati *grana quasuor.*
Sulf. aurati antimonii *grana duo.*
Pulv. boccar. lauri nob. tostarum *Drach duas.*
M. f. pulvis ddus in dases aequales Nro. 12 D.
Sig. Tres pulveres de die sumantur.

Nonunquam morbus hic concomitatur cum doloribus et variis nevrosibus; hic optime dictis alterautibus narcotica adduntur, quae pariter alterando agunt, ex his praecipue laudem meretur Digitalis purpurea, Beladona, Opirm, Acidum hydrocyanicum, sequenti forma:

*Rp.* Kali hydrojodici *grana octo.*
Extracti digit, purp. *grána quatuor.*
Cupri amonicacalis *grana duo.*
Elcosach menthae *Unc semis.*
M. f. pulvis dividus in doses aeque Nro. 24
Dd. bis aut ter de die vel omni bihorio unus pulvis exhibeatur, pro varia aetate.

Ad tumores glandularum resolvendos externe quoque varia remedia usitata suut: Unctio tumoris albumine ovi, certe praestans et simplex remedium domesticum, facile aquisibile. Lotio solutione salis comunis vel amoniaci, Unguentum ex felle thauri inspipato, Sale amoniaco: Unguentum hydrargiri Cinereum, Unguentum cum Kali hydrojodico. Oleum jecoris aselli. Emplastrum Cicutae, Empl. gi. resi. Emplastro hydrarg. Cinereo juncta. Summae efficariae sunt Balnea sulfurca, qualia sunt Budae Pöstini et alibi item marina, quae in resolutionem tumorum summam efficaciam exerunt. Noctu vero tumoribus optime adplicitur Emplastrum sequens.

*Rp.* Empl. hydrargiri.
— Cicutae.
— gi resinosi aa *Unc semis.*
Kali hydrojad *Drach unam.*
Ol. Jecoris aselli q. s.
Ut malxando fiat molle. Emplastrum D. Sig. Usui externo.

Contingit Saepe ut tumores glaudularum in hoc morbo abeant in exulcerationem foedam, quod praecipue Contingit, Si Systema osseum quoque jam affectum sit. Haec ulcera scrophulosa sunt certe notatu digna propriamque Therapiam exposcunt, et quidem sub usu remediorum dictorum antiscrophulosorum roborantibus juncrorum interne summtorum, externe quoque ad supurationem largam iminuendam, dein ad ulcera consolidanda adhibetur Decoctum Radicis Bardanae Unc semis, cum herbae Cicutae Drachmis duabus. Pro collatura Unc. sex quo decocto Utcera ter de die mundantur. Tardius ad Consolidenda ulcera optime adhibentur praeparata Saturni, Zinci sine in solutione cum tinctura opii; melius tamen in Unguentis vel emplastris sequenti formula.

*Rp.* Ung. simplicis *Unc unam.*
Florum Zinti altohalisatz *Drach duas.*
M. exactisse fiat Unguentum.

Si sint Ulcera scrophulosa inpura, torpidaque prout fit in morbo inveterato neglectoque, hic interne ad crasim sanguinis emendandam optime adhibentur decocta alterantia uti est summae efficatiae Decoctum Zitmani, vel potius si nulla Complicatio sit cum siphilide ex tempore prqescribitur:

*Rp.* Rad Bardanae *Unc quatuor.*
Hbae gratiolae.
Specierum lignorum aa *Unc duas.*
Stipit dulcamarae.
Calami aromatici aa *Unc unam.*
Sig. Ter de die summatur decoctum hoc ex Unc. una parandum ad Colaturam Librae unius, ad tres vices.

Externe vero ulcera tractentur methodo antea dicta. Hisque methodis in plurimis casibus Scrophulosis sanata est.

# Theses.

1. Autocratia naturae multos morbos sanat sola, eo plures sanabit si debite adjuvetur.
2. Bona moralis educatio prolium plus valet ad felicitatem civilem abtinendam, quam scientiae litterarum, ideoque has praecedere debet, et praeferi potest.
3. Confidentia aegri in medicum est summum Theraptae adminiculum.
4. Diagnosis morbi est maxime necessaria, et difficillima in morbis curandis.
5. In curandis nevrosibus omnes stimuli fortiores nimis exaltantes phantasiam aegri removendi sunt.
6. Lux est principalis stimulus oculi.
7. Plurimi morbi in origine sua inflamatorium characterem plus minus praeseferunt.
8. Febris non est proprie morbus, sed potius effectus morbi, et quasi molimen naturae morbum quemdam deviucendi.